



Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dips. CCXX. Vtrum Angelus possit plura per modum plurium, an solum per
modum vnius cognoscere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

3. Præterea. Intelligere est motus quidam: nullus autem motus terminatur ad diuersos terminos. Ergo non contingit simul multa intelligere.

Sed contra est quod dicit Augustinus, 4. super Genes. ad litt. Potentia spiritualis mentis angelicæ cuncta quæ voluerit, facillime simul comprehendit.

Respondetur dicendum, quod sicut ad unitatem motus requiritur unitas termini, ita ad unitatem operationis requiritur unitas objecti. Contingit autem aliqua accipi vltura, & vt vnum: sicut partes alicuius continui. Si enim vnaquæque per se accipitur, plures sunt. Vnde & non vna operatione, nec simul accipiuntur per sensum & intellectum. Alio modo accipiuntur secundum quod sunt vnum in toto. Et sic simul vna operatione cognoscuntur, tam per sensum quam per intellectum, dum totum continuum consideratur, vt dicitur in 3. de Anima, & sic etiam intellectus noster simul intelligit subiectum & prædicatum prout sunt partes vnius propositionis, & duo comparata secundum quod conueniunt in vna comparatione. Ex quo patet quod multa secundum quod sunt distincta non possunt simul intelligi, sed secundum quod vniuntur in vno intelligibili, sic simul intelliguntur. Vnumquodque autem est intelligibile in actu secundum quod eius similitudo est in intellectu. Quæcunque igitur per vnam speciem intelligibilem cognosci possunt, cognoscuntur vt vnum intelligibile. Et ideo simul cognoscuntur. Quæ vero per diuersas species intelligibiles cognoscuntur, vt diuersa intelligibilia capiuntur. Angeli igitur ea cognitione qua cognoscunt res per verbum, omnia cognoscunt vna intelligibili specie quæ est essentia diuina. Et ideo quantum ad talem cognitionem omnia simul cognoscunt: sicut & in patriâ non erunt volubiles nostræ cogitationes ab aliis in alia euntibus atque redeuntibus, sed omnem scientiam nostram simul vno conspectu videbimus: vt Augustinus dicit in 15. de Trinitate capite 16. ea vero cognitione qua cognoscunt res per species innatas, omnia illa simul possunt intelligere quæ vna specie cognoscuntur: non autem illa quæ diuersis.

Ad primum ergo dicendum, quod intelligere multa vt vnum est, quoddammodo vnum intelligere.

Ad secundum dicendum quod intellectus formatur per intelligibilem speciem, quam apud se habet. Et ideo sic potest vna specie intelligibili multa simul intel-

ARTIC. II.

ligibilia intueri, sicut vnum corpus per vnam figuram potest simul multis corporalibus assimilari.

Ad tertium dicendum, sicut ad primum.

CONCLVSIO est: Quæcunque cognoscuntur per modum vnius etiam si plura sint, possunt ab angelis cognosci: plura tamen vt plura non possunt cognosci simul. Quid vero sit plura per modum vnius, aut per modum plurium simul cognosci, sequenti computatione explicabitur.

DISPUT. CCXX.

Vtrum Angelus possit plura per modum plurium, an solum per modum vnius cognoscere.

Plura non nisi per modum vnius simul ab angelis cognosci posse varie Theologi defendunt. cap. 1.

Probabilior sententia. cap. 2.

Respondetur argumentis, quæ videntur opposita prædictis. cap. 3.

CAPVT I.

Plura non nisi per modum vnius simul ab angelis cognosci posse. vnde Theologi defendunt.

Non pauci Theologi cum S. Thomae sentiant, plura non posse ab angelis intelligi, cognosci nisi per modum vnius. Ita sentit videtur doctor Angelicus in hoc articulo, & 1. contingit. cap. 55. & 2. contra gentes. cap. 101. & quælibet veritate articulo 14. in corpore, & ad 6. quælibet sequuntur Caietanus & Ferrariensis locis allegatis. Aegidius in tractatu de angelorum cognitione 4. & 5. in 2. distinctione 3. parte 2. questione 2. articulo 3. Dicitur de 2. d. 8. questione 8. nu. 7. & Capreolus eadem distinctione questione 2. articulo 1. post nonam conclusionem, & articulo 3. solutione 2. & 3. contra eandem conclusionem. Fundamenta huius sententiae sic vniuntur a præ inferius adducemus in quarto modo capitulandam: qui enim eam sequuntur non eodem modo ipsam defendunt. Quare & singulos modos, quibus illam explicant, distinde recensitemus.

Primus modus est Aegidij loco citato, quidam cet., intelligi quidem posse plura per modum plurium, hoc est, vt omnino diuersa inter se, & in ordine, si tamen intelligantur diuerso modo: non si eodem modo intelligantur, non possunt, inquit Aegidius, intelligi plura, nisi per modum vnius intelligi: autem plura diuerso modo, eodem, contingit tripliciter (inquit ille) primo quando videtur vnum per essentiam, aliud per speciem additam essentiae, hoc modo intelligit Angelus seipsum per suam essentiam, & creaturam per speciem additam essentiae. Secundo quando vnum cognoscitur per gratiam, aliud per naturam: sic videtur Deus a Beatis per gratiam, & creaturæ per naturam. Tertio quando vnum principaliter, aliud autem minus perfecte, per consequenter cognoscitur: hoc pacto cognoscitur subiectum, & prædicatum: causa & effectus: subiectum & accidentia: ex his enim prius in vnoquoque ordine cognoscitur principaliter, postea minus autem minus perfecte & consequenter: creatura

Lib. 14. de Trin. cap. 16. circa finem, 80m. 3.

tra vero cognosci aliqua plura eodem pacto, contingit etiam tribus modis oppositis, vt inductione constare potest.

Hac præmissa notatione, inquit, Egidius plura per modum plurium intelligi quidem posse ab Angelo; ita tamen, vt non eodem modo, sed diuerso cognoscantur. Subdit tamen, tripliciter contingere, aliqua cognosci per modum vnius, & per modum plurium. Primo propter rationem, & principium cognoscendi: hac ratione Angelus cognoscit essentiam suam, & res alias per modum plurium: quia suam essentiam per se ipsam, at vero res alias per species. Secundo propter actum intelligendi: & tunc dicuntur plura cognosci per modum plurium, quando quodlibet eorum per se cognoscitur, & æque perfecte cognoscitur, & hoc modo non cognoscuntur vt plura subiectum, & accidentia illius, quia non æque perfecte principaliter intelliguntur. Tercio, ex parte obiecti intelliguntur plura per modum plurium, quando quodlibet illorum cognoscitur vt obiectum principale, nec vnum vt minus principale respectu alterius. Per oppositum etiam tribus modis contingit aliqua intelligi per modum vnius.

Ex his constat, inquit, Egidius, quo modo Angelus intelligat plura per modum plurium: & per modum vnius: nam se, & alias res cognoscit per modum plurium primo & tertio modo, non tamen secundo; subiectum autem, & accidentia, & reliqua, quæ per ordinem ad aliquid vnum cognoscuntur Angelus non cognoscit vt plura, nec eodem modo, sed diuerso, & per modum vnius secundo illo modo. Hic dicitur tam prolixus, & obscurus nulla ratione probatur ab Egidio, neque video quo pacto probari possit; ex eo tamen habemus, non posse plura per modum plurium eodem modo cognosci ab Angelo, bene tamen diuerso modo: quocirca non omnino cum sententia aliorum conuenit.

Secundus modus explicandi prædictam sententiam est Durandi loco allegato, qui docet, non posse ab Angelo plura cognosci vnicò actu intellectus per modum plurium: bene tamen, si intelligantur cum ordine quodam inter se scilicet enim per modum vnius cognoscuntur: imò hac ratione putat ab Angelo simul cognosci omnia quæcumque naturaliter ab eo intelligi possunt, qualia sunt essentia ipsiusmet Angeli & omnia entia naturalia præsentia (non futura contingentia) simul, inquam, eodem actu intellectus, & cum ordine quodam inferioris, aut superioris ad ipsiusmet Angeli essentiam. Cumque in questione 1. prologi numero 24. sentiat, non posse naturaliter in intellectu plures actus distinctos simul esse, consequitur in eius sententia ita posse ab Angelo plura per modum vnius, hoc est, cum ordine quodam intelligi, vt non possint etiam cum ordine per plures actus cognosci. Quia vero ratione censeat, Angelum semper actu hæc omnia considerare, sequenti disputatione dicemus. Probat autem Durandus hoc argumento hanc suam sententiam, seu modum explicandi præcedentem, quia vnius actionis vnus solus potest esse terminus: ergo & vnius intellectus vnus obiectum: quare si plura intelligat Angelus, ea per modum vnius debet intelligere: quia necesse est, vt eodem actu omnia cognoscat, cuius debet esse vnum obiectum: plura autem sine ordine non possunt habere rationem vnius obiecti.

Vsque in 1. p. tom. 2.

Hæc ratio ostendit, plura sine ordine, eodem actu non posse intelligi: non tamen probat, plures actus in eodem intellectu simul esse non posse.

Tertius modus videtur esse Sancti Thomæ in hoc articulo, & supra questione 12. articulo 10. & infra questione 85. articulo 4. vbi eandem doctrinam tradit de intellectu humano, & 1. contra gentes cap. 55. & questione 8. de veritate art. 14. in corpore, qui docet, ea intelligi per modum vnius, quæ per vnā speciem: ea vero per modum plurium, quæ per plures species cognoscuntur. Quare sententia eius videtur esse, non posse ab Angelo simul considerari plura per plures species, sed tantum per vnā & eandem. Atque in eius doctrina idem existimo esse, cognosci plura per vnā speciem, aut per plures: quod cognosci per vnum, aut plures conceptus formales. Idque ita vniuersum contingit, vt quoties principium intellectus est vna simplex species, ipsa etiam intellectio, seu conceptus formalis quem appellamus speciem expressam, sit etiam simplex qualitas. Quocirca cum in propositione, & diuisione, quam format in seipso intellectus de rebus plura cognoscantur, scilicet subiectum, & prædicatum, & hæc simul cognoscantur: videtur dicendum in sententia S. Thomæ hoc modo explicari, plura illa cognosci in propositione per vnā speciem, & simplicem qualitatem: id quod ipse S. Doctor dixisse videtur 1. contra gentes cap. 55. in fine primæ rationis, vbi ait subiectum & prædicatum simul cognosci, quia per vnā speciem totius propositionis omnes partes illius apprehenduntur. Idem docuisse videtur in hac 1. par. questione 85. art. 4. ad 4. si conferatur cum solutione 3. ibi enim dixerat, extrema propositionis cognosci tanquam partes totius. Quam sententiam sequuntur Ferrarius. eodem capit. 55. §. Ad horum evidentiam, inquit, cum intellectus noster intelligit hominem non esse equum in propositione, in qua intelligit differre hominem ab equo; ex specie hominis, & equi produci vnā speciem, quæ repræsentat differentiam hominis, & equi.

Hic modus opinandi probatur primum ratione, quæ videtur S. Thomæ supra questione 12. articulo 10. vt impossibile est idem corpus diuersis figuris figurari: ita impossibile est intellectum nostrum variis formis intelligibilibus informari: ergo dum intelligit plura, non potest plures species intellectus Angeli in seipso exprimere, sed necesse est, vt per vnā tantum speciem illa simul intelligat. Ad hanc rationem alludere videtur alia ratio, quæ videtur idem S. Doctor lib. 1. contra gentes cap. illo 25. in hac 1. parte questione 85. art. 4. talis est. Impossibile est, idem subiectum pluribus formis eiusdem generis simul informari, sicut digestis coloribus: quamuis diuersas formas diuersorum generum simul habere queat: ergo impossibile est, intellectum diuersis cogitationibus, & speciebus simul informari. Deinde probari potest ratione huius articuli, quæ est huiusmodi: quemadmodum ad vnitatem motus requiritur vnitatem termini: ita ad vnitatem cognitionis necessaria est vnitatem obiecti: ergo non possunt simul intellegi plura, nisi saltem in ratione intelligibilis sint quodammodo vnum. Hæc ratio vt aliquid habeat momenti, supponit, id quod, prior ratio probauit, nempe non posse eundem intellectum

Ccc 3

simul

simul pluribus intellectibus, & speciebus informati.

8.
Bernardus.
Caietanus.
Ferrarius.

Quartus modus defendendis prædictam opinionem, est Huius in tractatu de motu Angeli questione 1. ad tertiam difficultatem, Caietani in hunc articulum & infra questione 58. articulo 4. & Ferrariensis 1. contra gentes capite illo 53. qui docent primum, posse quidem intelligi plura simul per modum vnius: deinde asserunt, plura, quæ per modum vnius intelligentur, posse intelligi per plures species distinctas in genere qualitatis, representantes tamen obiecta diuersa cum ordine inter se, & hoc esse cognoscere plura per modum vnius: quare in horum sententia, vnus propositionis affirmantis, aut negantis non erit vna species expressa in genere qualitatis, sicut assignari solet alicui tota vna species representans varias illius partes, sed erunt plures species in genere qualitatis representantes plures res, inuicem tamen ordinatas.

Prima pro
explicatio-
nis præce-
denti ratio.

Prior pars huius sententiæ communi fundamento inferius confirmabitur. Posterior autem, quæ asserit extrema propositionis intelligi per plures species, etiam si intelligentur per modum vnius, probatur primo, qui si extrema propositionis intelligeretur semper per vnā speciem simplicem in genere qualitatis, quia semper intelligatur, à quocunque intelligentur, per modum vnius, sequeretur nunquam esse compositionem, & diuisionem, etiam in nostro intellectu: ideo enim dicimus, Angelum non componere, & diuidere intellectu suo, etiam si plures res intelligat simul, & vnā de altera assermet, alteram vero neget, quia esse hoc illud, aut non esse illud, per vnā simplicem qualitatem, & conceptum formalem intelligit, alioquin si ex parte rerum plura intelligentur, & pluribus conceptionibus ea cognosceret intellectus, re vera esset compositio: contra vero ex solo numero rerum, quæ cognoscuntur, non potest colligi compositio, & diuisio: nam & Deus plura intelligit, tamen non componit, aut diuidit in suo intellectu: ergo si compositio, & diuisio in intellectu ex parte conceptionum, & specierum, quas conceptus formales appellamus, desumi debet, & quoties plura simul ab intellectu intelligentur, debent per vnā simplicem qualitatem & conceptum intelligi, nunquam erit compositio, aut diuisio in illo intellectu: quod nemo concedit. Secundo ex opposita sententia etiam sequeretur, nunquam esse totum syllogismum & discursum simul in intellectu, quia in illo intelligentur multa: quare si debent per vnā speciem expressam cognosci, vt per modum vnius dicantur intelligi, nec aliter quam per modum vnius cognosci possunt, & efficitur nullum vnquam fieri syllogismum simul ab aliquo intellectu: hac enim ratione dicimus infra Angelum non discurrere, quia simul vno actu & conceptu formali plura cognoscit, & inter illa vnū ex alio deducit. Quocirca aut dicendum est, Angelum semper discurrere: aut si Angelus ideo non discurret, quia multa cognoscit per vnā simplicem qualitatem, nec vnā cognitionem & conceptum deducit ex alio, & homo quoties intelligit multa, ea cognoscit per modum vnius & per vnā qualitatem, sequitur, etiam hominem nunquam discurrere.

Secunda
ratio.

10.

Tertia ratio. Tercio eadem sententia confirmatur, quia ex opposita etiam consequeretur, intellectum hu-

manum solum posse componere & diuidere, & formare propositiones ex rebus extremis distinctis secundum rem, vt ex homine, & alceide, cum dicitur, Homo est alceus, non tamen ex his quæ sola ratione differunt: quare nullus intellectus dicere, posset, homo est animal: hæc enim extrema sola ratione differunt: id autem ex opposita sententia recte sequi, probatur, quia vt hæc propositio ex his extremis, quæ sola ratione differunt, esse est ea distingui per nostram rationem: distinguere vero non possunt: hoc modo ea, quæ sunt idem secundum rem, nisi concipiuntur vt diuersa: hoc autem fieri nequit, nisi diuersis conceptionibus cognoscantur, vt ostendimus supra disput. 1. q. 1. cap. 2. & 3. ergo si omnis propositio in intellectu vna simplici qualitate & conceptu fieret, non posset vlla propositio constare extremis sola ratione distinctis.

Prior vero pars huius opinionis, in qua testatur quæ omnes opiniones memoratæ conueniunt, confirmari solet testimonio Aristotelis 1. Toporum cap. 4. loco 32. vbi vt probet non esse idem scire, & cogitare, discrimen assignat his verbis: Cuius est habitus scire, cogitare autem non: scire enim deoatur habitum: quare & dormientes scire dicuntur, cogitare autem de notat actum contemplari: contingit igitur (inquit Aristot.) plura habere scire, vt manifestum est, sed actum contemplari plura non contingit. Deinde asserit Caietanus in hunc articulum Aristotelem 4. Metaphys. cap. 4. textu 10. asserentem hæc verba. Qui vnum non intelligit, nihil aliud, ex quo in fert, quicunque aliquid intelligit, non solum intelligere vnum, aut plura per modum vnius.

CAPVT II.

Probabilior sententia.

Probabilior opinio, quam etiam Thomæ amplectuntur, in duobus consistit: vnū, posse plura cognosci per modum vnius, notatum per vnū conceptum formalem, qui vna simplex qualitas, sed etiam per plures conceptus & species expressas, inuicem tamen ordinatas & representantes obiecta cum ordine quodam inter se. Alterum est, posse quidem cognosci plura per plures species expressas, & per plures conceptus formales absque villo ordine inter se, non tamen ita perfecte, sicut si vnum obiectum illorum per se intelligeretur.

Prior pars huius sententiæ, in qua conueniunt cum Ferrariensi, & Caietano, non obstat probata à nobis est capite præcedenti, vbi ostendimus extrema propositionis, & propositiones syllogismi non posse esse vnā simplicem qualitatem & conceptum formalem, sed plures, cum ordine tamen representantes obiecta ipsa. Nunc vero eadem pars confirmari potest primum quia quamuis, secundum aliquorum sententiam, Deus eadem simplici visione videat essentiam diuinam, & aliquas res creatas, nullus tamen negat aliquam etiam simul cum essentia diuina à beatitudine distincta visione videri. Quod si quis respondet, hoc quidem fieri per gratiam, solum autem negari, id fieri posse per naturam: saltem ex hac ratione colligitur, non tam repugnare, plura cognosci simul per diuersos conceptus formales, quam repugnare, idem corpus duabus figuris simul figurari: hoc etiam per gratiam, & potentiam Dei ab solutum fieri nequit.

Deinde

Deinde prior pars huius sententiae probatur ex doctrina S. Thomae, quia Angelus se ipsum cognoscit per suam essentiam, ut ostendimus supra disp. 204. cap. 2. tanquam per principium eliciens cognitionem, & ab hac cognitione nunquam cessat, ut sentit idem S. Thomas, & nos supra notauimus, atqui praeter suam essentiam alias res Angelus cognoscit, & non per eundem conceptum formalem, quo suam essentiam intelligit, ergo simul multa intelligit per plures species & conceptus formales expressos. Porro autem, non cognosci res alias ab Angelis simul cum sua essentia per eandem speciem, nemo est, qui ignoret: praeterim si vera est sententia communis, quae asserit, Angelum intelligere res alias praeter seipsum per species inditas: le autem per suam essentiam: sic enim cum sit diuersum principium eliciendi cognitionem, erit etiam diuersa species, & conceptus formalis expressus.

Respondet S. Thomas quaestione illa 8. de veritate articulo 14. ad 6. Angelum quidem intelligere se, & alia per modum vnius, quia cetera intelligit ratione suae essentiae, tanquam ratione obiecti primarij imperfectae cognitione: nam si de perfecta loquamur, inquit res alias cognosci ab Angelis per proprias species illarum ipsis inditas. Haec tamen solutio non videtur satisfacere: nos enim libenter concedimus, posse plura cognosci ab Angelo per modum vnius, eo quod ordine quodam inter se cognoscantur. Contendimus tamen plura illa posse quidem cognosci per plures species expressas, & conceptus formales, quod in Angelo videtur concedendum, saltem quando Angelus cognosceret alias res per proprias species, & non ratione essentiae suae: alias autem res ab Angelo posse perfecte cognosci simul, etiam quando seipsum cognoscit, indubitatum est. Adde etiam, quod illa duplex cognitio aliarum rerum in Angelos, altera per essentiam Angeli, altera per proprias rerum species, non videtur necessaria: imo si concederemus illam imperfectam cognitionem aliarum rerum in Angelo ratione suae essentiae, cogerebatur aliquem discursum circa res naturales Angelo tribuere: nam sua essentia non posset sibi esse ratio cognoscendi alias res notitia, quam vocant intuitiuam: ac proinde non posset Angelos non aliquo modo discurrere: ut enim dicemus infra disputatione 22. discursus solum prouenit ex eo, quod res non cognoscantur intuitiuo, proprio, & perfecto conceptu. Quare ego non dubitatem cum Caetano, Ferrariensi, & alijs Thomistis, ita benigne interpretari Doctorem Sanctum, ut cognitionem plurium per modum vnius intelligat fieri non tantum per vnam simplicem qualitatem conceptus formalis & expressi: sed etiam per plures representantes obiecta cum ordine quodam inter se, & compositio aut diuisio fiat in nobis non per vnam simplicem qualitatem, ut plane supra monstrauius, sed per plures qualitates conceptuum, quae ratione ordinis, sub quo obiecta repraesentant, dicantur vnus conceptus quasi integer, & extrema propolitionis quasi per partes huius conceptus integre repraesententur.

Posterior pars nostrae sententiae est, posse quidem plura simul cognosci ab Angelo, imo etiam a nobis per modum plurium, hoc est, per plures qualitates & conceptus, & sine ordine repraesentationis obiectorum inter se; non tamen ita perfecte, ac si singula per se cognoscerentur, aut plura illa per modum vnius sub ordine quodam, quam quidem opinionem primum mihi persuadeo, quia nullam inuenio rationem, quae efficaciter probet, id repugnare facultati, & potentiae Angelici, aut humani intellectus, ut cap. sequenti videbimus. Praeterea probatur praedicta opinio, quia sensus tam exterior quam interior cognosci simul plura per modum plurium, non tantum quia per plures species, sed etiam quia sine ordine compositionis aut diuisionis inter se, & in visu quidem experimento patet, videri a nobis plura per modum plurium, videmus enim plures homines, plura animalia, plures ite alias res in prospectu positas: nemo autem dixit, tam varias res visibiles per vnam simplicem qualitatem videri. Praeterea, res illas videri sine compositione & diuisione, nullas ignorat: quis enim vnquam dixit, visum componere aut diuidere? Demum res illas aliquando videri sine ordine etiam distantiae localis, qui, meo iudicio, parum referret, ut diceremus, plura illa videri per modum vnius, experimento quoque dicimus: quia saepe non aduertimus distantiam obiectorum inter se, sed res ipsas simpliciter apprehendimus, Aut si exemplum in visu non placet, adducamus sensum auditus, qui plures simul audit sonos repraesentatos sine vilo ordine inter se: tactum etiam, qui plures qualitates in eadem re simul percipit, nempe frigus, duriciem, aut mollietatem, in sensu quoque interiori idem manifeste patet, nam obiecta visus, auditus, & aliorum sensuum exteriorum simul percipimus sensu interiori, quatenus dicitur sensus communis in praesentia solum percipiens obiecta. Eodem quoque sensu interiori cogitamus, & memoramur plura obiecta diuersorum sensuum: & tamen sensus non componit, nec diuidit, ac proinde neque cum ordine necessario plura illa sentit. Cur ergo hoc quidem non tribuamus intellectui, qui multo perfectior facultas est?

Ceterum, ut dixi, quoties facultas aliqua tam intellectus Angelici, quam nostri, tam sensus exterioris, quam interioris plura simul cognoscit, non operatur circa singula, neque imperfecte ea cognoscit, ac singula per se intelligeret aut sentiret: imo vero intellectus talem modum operandi habet collatione eorum, quae cognoscit, ut vix plura sine ordine intelligat, ac proinde per modum vnius plura fere semper cognoscit: id quod facile quisque in seipso experiri potest. Hoc autem prouenit ex naturali illo modo, quo intellectus noster pro hoc statu collatione, & relate intelligit. Nihilominus non video aliquid obesse, quo minus posset aliqua simul per modum plurium imperfecte intelligere: sed multo melius id fieri potest ab Angelo, qui intelligit res intuitiuas, ut aiunt, notitia, prout sunt in se ipsis: tamen si multo minus perfecte singula hoc modo intelligat, quam cum per modum vnius cognoscit. Hanc partem postea notam nostrae sententiae secutus est Dominicus Scotus lib. 1. postremo. q. 1. & in hunc sensum interpretatur mentem, & opinionem S. Tho. de qua non oportet amplius contendere. Huic nostrae sententiae fauet etiam Gregorius, quem sequenti disp. allegabimus, quatenus affirmat, posse Angelum plura simul intelligere per plures species, & conceptus.

Augustin.
testimonium
pro nostra
sententia mi-
nus tamen
efficax.

Nonnulli nituntur probare hanc nostram sententiam ex August. 4. Genes. ad litteram. cap. 3. 2. in principio, ubi de Angelo ita scribit: *Sed secundum potentiam spirituales mentis Angelica cuncta, quæ voluerit, simul notitia facillima complectantur.* Hæc tamen verba probant quidem, plura ab Angelo cognosci, non tamen per modum vnius: aut per modum plurium. Posset tamen aliquis ex verbis sequentibus eiusdem Augustini colligere, ipsum hæc esse sententia, ut Angelus plura illa cognosceret per modum vnius, hoc est, cum ordine quodam inter se: inquit enim. *Nec ideo tamen sine ordine, quo & apparet connexio præcedentium, consequentiumque causarum: neque enim cognitio fieri potest, nisi cognoscenda præcedant.* Verum nec ex his verbis ea sententia colligi potest. Ibi enim non agit August. de ordine obiectorum inter se, quasi dicat, ea cognosci simul non posse nisi cum ordine quodam inter se: sed docet, res ab Angelo ita cognosci cum ordine causarum, ut primum videantur visione maturata in verbo, deinde cognitione vespertina in proprio genere & natura: cum enim res cognoscendæ præcedant cognitionem ex sententia August. eo ordine cognosci debent, quo ipsæ sunt: quare ibi non tractat August. de ordine obiectorum inter se, quæ ab Angelo simul cognoscuntur, sed de ordine cuiuscunque rei, secundum quod est in verbo, & in se ipsa, & de ordine cognitionis maturatæ, & vespertinæ, de quibus satis superque à nobis dictum est supra disp. 51.

CAPVT III.

Respondetur argumentis, quæ videntur oppositum probare.

IAM vero opus est, ut argumenta, quæ simpliciter probare videntur, non posse ab Angelo cognosci plura, nisi per modum vnius, dissoluantur. Ad primam, quod primo capite in tertio modo explicandi sententiam ibidem memoratam allatum est, dicimus, diuersam esse rationem inter figuram in quantitate, & speciem intelligibilem: quare licet idem corpus non possit pluribus figuris simul figurari: potest tamen idem intellectus pluribus speciebus simul informari: figura enim quantitatis est extremum & terminus illius: manifestum autem est, nullum corpus habere posse plures terminos suæ quantitatis, sed vno necessario terminari debere, ergo non poterit pluribus figuris simul figurari: species autem intelligibilis siue impressa, siue expressa non est figura quantitatis, sed est qualitas quædam, quæ ideo dicitur figura, quia est imago obiecti: quare cum non repugnet, idem subiectum diuersis qualitatibus simul informari, non repugnat, habere simul plures species. Et quidem nemo hæcenus negauit, in eodem intellectu, & sensu esse plures species intelligibiles, aut sensibiles impressas, quæ constituunt actum in actu primo, absque ullo ordine inter se: cur ergo negabimus, posse etiam esse multas species expressas, quæ sunt ipsemet actus intelligendi, aut sentiendi? Bene video, posse quidem esse plures species impressas simul, quam expressas in eadem facultate, quia maior est difficultas in ipsa facultate, ut operetur, quam ut recipiat, & conseruet species impressas, & ideo virtus eius ad operandum, & exprimendum species, minor est quam ad recipiendum eas, & simul retinendum: sed ideo argumentum desumptum ex spe-

ciebus impressis ad expressas, quia si repugnaret, habere plures species simul expressas sine ordine inter se, quia sunt veluti figura, & corpus non potest simul pluribus figuris figurari, eadem ratio non repugnaret, informari simul pluribus speciebus impressis, quæ etiam sunt veluti figura, & imagines obiectorum.

Ad secundum argumentum, quod ibidem allatum est de qualitatibus eiusdem generis, respondetur, in eo falsum assumi, nempe qualitates plures eiusdem generis non posse esse in eodem obiecto: constat enim posse esse plures qualitates eiusdem generis, quando contrarie non fuerint: nam nullus negat, in eadem facultate intelligere esse plures species intelligibiles impressas, per quas dicimus colligere intellectum in actu primo: quæ tamen sunt sub eodem genere. Hæc igitur ratio non repugnabit, esse plures species, quæ vocamus expressas, & in actu secundo: tamen alia ratio id fieri non posset.

Ad tertium, quod in eodem tertio modo opponendi allatum est, dico, vnum motum non posse terminari nisi ad vnum terminum, ex quo licet sequeretur, vnam intellectiōem, quæ est vna qualitas simplex non posse terminari, nisi ad vnum obiectum: non liceret inferre, non posse simul plura obiecta cognosci, per plures scilicet cognitiones: nos autem non contendimus, posse plura ut plura, cognosci per vnam simplicem cognitionem & qualitatem, sed per plures, quæ simul sunt in humano, & angelico intellectu, cuius oppositum ratio prædicta non probat.

Superest, ut explicemus duo testimonia Aristotelis, quæ pro communi fundamento adduci solent, ad probandum, plura non posse simul intelligi per modum plurium. Prius testimonium, quod ex 4. Topicorum desumptum est, & refertur scilicet his verbis, *Contingit scire plura, cogitare vnum, vnum: apud Aristotelem est hoc modo, Contingit scire plura, cogitare autem non quibus verbis significat solum vnum posse cogitari, cum tamen sciri possint multa, sed denotat Arist. non ita contingere cogitare plura, sicut contingit scire vnum, scire contingit adeo varia & diuersa, ut ea simul cogitare nullus homo possit: ex hoc tamen non fit, ut non possit quis plura, quam vnum cogitare, ut nonnulli contendunt. Posterius testimonium ex 4. Metaphysic. si recte consideremus Aristotelis, institutum in eo capite, nihil habet momenti, nihil enim solum contendit Aristoteles probare, quodcunque nomen, quo vitatur, vnum tantum significare, ut inter homines disputatio & comitatus esse possit, quare inquit, cum assumuntur omnia, quæ ex se multa, & varia significant, ipso viâ applicari ad significandam rem aliquam determinatam, alioquin omnis de medio tolleretur inter hominis disputatio. Rationem vero subdit Arist. his verbis, *Nihil enim intelligere contingit, nisi vnum intelligentes: quibus verbis contendebat Ciceronius probare, non posse intelligi plura per modum plurium, sensus tamen Aristotelis est, si nomina non significant inter homines vnum quid determinate, cum inuicem loquuntur, omnis comitatus & omnis disputatio de medio tollitur, quia non possunt se ipsos inuicem intelligere, qui non videntur nominibus vnum quid determinate significatur, nam si non intelligant quid vnum, de cunctibus, quæ est disputatio, nihil disputatiōis intelligant.**

19
Corpus ne-
quit duplici-
ter terminari
figura.

Hac igitur ratione recte dixit, *Nihil enim intelligere contingit*, (nempe disputationis) *nihil unum intelligentes*: hoc est, eos, qui non intelligunt rem aliquam vnam determinate, de qua suscipitur disputationis.

DISPUT. CCXXI.

An omnia, quæ Angelus naturali virtute intellectus assequi potest, simul cogitare valeat.

Quid sentiat Durandus. cap. 1.

Tres alie Scholasticorum opiniones. cap. 2.

Probabilior sententia. cap. 3.

Dissolvitur argumentum primæ opinionis. cap. 4.

CAPVT I.

Quid sentiat Durandus.

Precedenti disputatione ostensum est, posse Angelum suo intellectu simul plura intelligere, & actu considerare etiam per modum plurimum. Nunc vero maior superest difficultas, vtrum non tantum multa, sed etiam omnia simul cogitare valeat, an non, quæ successione quadam ex sua virtute naturali considerare potest. In qua quidem controversia prima sententia sit Durandus in 2. dist. 3. q. 8. qui primum docet, Angelum aliqua semper intelligere simul, aliqua vero non: ea autem intelligere simul, quæ sunt præsentia, & existunt actus, de præteritis autem nihil dicit: fortassis idem omnino existimaret, si illorum meminisset. Confirmat autem hanc partem hac ratione: omnia quæ actu existunt, sunt sufficienter præsentia intellectui angelico, & ei comparantur, ut obiecta ipsi accommodata: vnumquodque autem actu intelligitur, secundum quod est præsens intellectui ergo hæc omnia semper actu intelliguntur. Deinde affirmat, futura quæ ex libero arbitrio pendent, non semper ab Angelo cognosci: nam ut supra vidimus disp. 207. ex sententia ipsius, hæc futura non possunt ab Angelo evidenter cognosci propria ipsius virtute. Ceterum aperte non explicat Durandus, vtrum à cognitione eorum, quæ Angelus naturaliter potest cognoscere, libere cessare valeat; an vero ita necessario omnia illa actu consideret, ut ab alicuius cognitione cessare nequeat: fortassis autem existimavit, id non esse Angelo liberum: si enim liberum esset, non semper illa omnia consideraret. Probari autem potest hæc sententia: quia si Angelus ab alicuius rei præsentis, aut præteritæ cognitione cessaret, non posset ab aliqua causa ad cognitionem illius rei iterum reduci, vel enim reduceretur ab aliqua causa & obiecto exteriori: vel ab aliqua cognitione alterius rei, in qua Angelus maneret, quia nunquam cessat ab omni cognitione, vel à voluntate ipsius Angeli, præter has autem nulla alia videtur superesse causa, à qua reduci possit: atqui à nullum harum reduci posset, ut inductione patet: primum, non ab aliqua causa exteriori, si enim ab aliqua, maxime ab ipso obiecto, quemadmodum nonnulli opinantur, res futuras tunc incipere ab Angelo cognosci, cum incipiunt esse præsentis, quia tunc obiectum determinat facultatem intellectus angelici vel imperminat speciem, vel alio modo mouens, quo mouere non poterat, quando erat adhuc futurum: hoc autem modo non potest

intellectus Angeli determinari à re præsentis, aut præterita, quia prius considerabat id, à cuius consideratione cessauit, quia cum ex parte ipsius rei nulla sit facta mutatio (eodē enim modo præsens est, aut præterita, sicut erat quando antea considerabatur) non videtur maior ratio, propter quam nunc determinet, & reducat intellectum ad suam considerationem, quam antea, deinde determinari non potest intellectus Angeli ab aliqua interiori cogitatione alterius rei, nam si cessauit, verbi causa, à consideratione equi, quem antea simul cum homine considerabat, & permansit in consideratione solius hominis, ex sola consideratione hominis reduci non poterit ad considerationem equi, quem antea considerabat, & in vniuersum ex consideratione vnius obiecti ad considerationem alterius nulla ratione reduci potest intellectus Angeli, quia non videtur maior ratio, quare ex consideratione vnius ad considerationem huius potius, quam illius determinetur, postremo determinari non poterit intellectus à voluntate, quia prima cogitatio de aliquo obiecto, non potest ex voluntate provenire, eo quod cogitatio natura sua debet omnem operationem voluntatis præcedere, & impossibile est voluntatem applicare intellectum ad cogitandum de homine, nisi aliqua cogitatione prior de ipso homine exciteretur, cum voluntas non possit in incognitum ferri.

Hæc opinio mihi non probatur. Quod enim res creatæ actu existentes, sunt præsentis non solum, reali existentia, sed etiam (ut dicitur) obiectiva, hoc est, sint obiecta accommodata & in proportionem debita cum intellectu Angeli, imo intellectus angelicus sit constitutus in actu primo ad eorum intellectionem, non satis est, ut Angelus eas omnes semper simul intelligat, tum quia poterit nihilominus cessare ab alicuius cognitione & cogitatione, tum etiam quia non videtur tam efficax Angeli virtus ad intelligendum, ut possit in omnes res simul cogitatione ferri. Argumentum vero pro hac sententia allatum inferius dissolvemus.

CAPVT II.

Tres alie Scholasticorum opiniones.

Secunda opinio sit Gregorij in 2. d. 21. q. 1. qui duo etiam asserit. Vnum est, recte posse Angelum omnia simul distinctè intelligere, quorum habet species, idque per plures actus, & species, & conceptus expressos & formales. Alterum est, posse Angelum ab vniuersalique rei consideratione cessare, & iterum ad illam reduci. Priorem partem probat, tum quia non repugnat, esse plures conceptus simul in eodem intellectu Angeli, ut superiori disp. probatum est: id quod ipse etiam Greg. docuerat in 1. d. 1. q. 1. art. 3. tum etiam quia non repugnat, plures actus simul elici posse ab eodem intellectu per plures species intelligibiles impressas, quibus constituitur in actu primo: quia agens, quod dici solet causa partialis, elicere potest simul plures operationes, vrens pluribus formis ad operandum, nisi natura sua in operatione fatigetur: atqui intellectus est causa partialis, quæ cum specie impressa elicit operationem, & in operando non fatigatur, sicut phantasia, vel alius sensus, ergo poterit simul omnia intelligere, quorum habet species, & principia. Deinde idem confirmat ex August. 4. de Genes.

Gregorij

Omnia quorum
habet species
posse simul
cognosci ab
Angelo probat
Gregor.

August. 4. de
Genes.